

02 H 412





12705 Q. D. B. V. 12

ARAVSIO SVPREMO IMPERIO VINDICATA, CONTRA CASSANVM AC PVTEANVM ADSSERTORES GALLOS.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO VILELMO
BORVSSICI REGNI PLVRIVMQUE IN
EVROPA PROVINCIARVM HEREDE,

PRAESIDE
IOH. PETR. Eudwig/
P. P. Ord. & Ord. Phil. h. t. DECANO
EXAMINI IN AVGVRALI
DISSERTATIONEM SVBMITTIT
DANIEL Kalau/
REGIOMONTANVS PRVSSVS.

DIE XXX. MAI^{is} 15 ccl.
H. L. Q. S.

HALAE HERMVNDVRORVM 27.
STANNO KREBSIANO.

ОНЕВА СА

ОЛЕНЫ ОНЕВА

САДОВИЧУ

1602

МУЖЕСКА МУЖЕСКА

САДОВИЧУ

ОЛЕНЫ ОНЕВА СА

САДОВИЧУ



COROLLARIA.

Cum argumentum dissertationis non ita obuium sit, sed recessus foueat, quorum aditus non omnibus patescunt: uisum est, quasdam theses, facilioris conflictus ergo, hic annexere.

Thesis I.

Borussia iure nunquam subiecta fuit Imperio Romano. Hinc eius exemptione opus non esse existimamus.

Thes. II.

Praescriptio iuris gentium est; quamuis terminus praescriptionis non adeo clare sit definitus.

Thes. III.

Argumenta ad hominem effectum ueritatis habent; licet uera non sint.

Thes. IV.

Salutaria consilia sunt Reipublicae Venetae nihil piis usibus uel legare uel testamento relinquere, nisi consensu publico senatorum. Vetus dictum est, pietas Ecclesiae diuitias peperit: sed filia deuorauit matrem. Contrarium sensit *Saluianus*; uix Christianum dici posse, qui moriatur, Ecclesiae non factis legatis. Inde Iacobus de *Vitriaco* suo iam tempore scripsit; totus mundus factus est eleemosynarius. Opes tamen Ecclesiae admodum inimicae sunt. Haecenus ille. Non expenderunt haec homines qui coeco impetu ordines sacrae militiae legatis, testamentis, donationibus ita ditarunt; ut de ordine Templariorum atque Teutonico in Borussia seculo XIV. dixerint intelligentiores, fieri posse, ut Europam uniuersam suae ditionis reddant fratres cruciati. Hodie idem de Jesuitis ominantur, qui in arcana eorum consilia uel e longinquo penetrant.

10.

Thes.



Thef. V.

Huetius Philosophiam initium revelationis facit, quod fides ueniat ex auditu. Crediderim tamen in nimietate virium omnino peccari, rationi tributarum. Fides enim non opus rationis est, sed gratiae

Thef. VI.

Vexillum Imperiale civitatum S. R. I. die Reichs-Stadt-Fahne merito repetimus a Gallis. Quod penes Argentoratuenses non eius proprietas fuerit: sed custodia.

Thef. VII.

Princeps Arausinus, nomine Maximiliani Imperatoris cum Anna, sponsa Caesaris, stricto gladio inter utrumque interposito, concubuit; quaestio orta, utrum nuptias hic fecerit concubitus? Jure gentium id creditum fuit; quod his moribus tum sibi uxores collocauerint summi Imperantes.

Thef. VIII.

Qui Grotium Papismi propterea incusarunt, quod Pontificios doctores Sirmondum ac Petavium incomparabiles Theologos in epistolis salutauerit; illi, me judice, haec elogia non recte distinxerunt.

Thef. IX.

Grótio mens non tantum fuit ius naturae docere; sed huic, quod sub operis ingressum dicit, iungere uoluit ius gentium, usu ac moribus populorum introductum.

Thef. X.

Tabulas Henrici Friderici, principis Arausini, Leo ab Aitzema exhibet, in quibus Auriaça dominia fidei commissi naturam acceperunt. Idem princeps ordinem succedendi praescripsit, ut primo Vilelmus; deinde ejus posteritate forte extincta, Louisa filia, uxor Friderici Vilelmi Electoris Brandenburgici & eius propago in auctoribus prouinciis sequeretur. Huius rei ex historia admoneri possumus; quamuis sanctioris omnino instituti sit, haec ipsa praesenti rerum statui adipicere.





§. I.



Vi DEVS, cuius numini pa-
rent omnia, fortunam BRAN-
DEBURGICAM superiori seculo
rexit, uariisque rerum acces-
sionibus praepotentem do-
mum auxit amplificauitque: illius fato con-
stitutum esse, cognoscimus, ut nedum intra
pristinos uirium limites illa subsistat; sed *noui*
temporum cursus ulteriora etiam PISSIMO
PRINCIPI adferant incrementa. Docemur
benignitatem diuinam felicitate auspiciorum;
quibus nouissima recentioris aeui exordia in
fastis BRENNO-BORVSSICIS insigniuntur. Vix
dum, ac ne *uix* quidem seculum decimum
septimum *exiūmus*: & regale BORVSSIAE dia-
dema BRANDEBURGICAE genti illatum fuit,
DEO largitore; plaudente orbe; Caesare ac
potif-

Causa &
ratio in-
stituti.

A

potissimum Europae principibus gratulatio-
nis officia nouo REGI, decore ac solennibus
uerbis, exsoluentibus. Iam alter annus teri-
coepus est: quo plurium Europae prouinciarum
hereditas & sanguinis iure, & ultima maximi
Britanniarum monarchae uoluntate, ad regem
nostrum fuit deuoluta. Auriaco principatu:
Lingae; Moersiae; Bubrae; Leerdami comitatibus;
Vehrae; Vlisfingae marchiis: Bredaeque dynastia
titulos REGIS nostri atque ditiones iterum
cumulatas fuisse, REGNIQUE BORYSSICI robur
per nouas prouinciarum accessiones proue-
ctum in maius, firmatumque: id ex publico li-
terarum usu intelligimus. Exigit igitur pie-
tas in benignissimum REGEM, ut insignes ac-
cessus non solum laeto animo, quod omnium
bonorum est, gratulemur: sed etiam nos, qui
sacris literarum operamur, omni studio in id
incumbamus, ut si quid ad dignitatem iurium
principis ac nutritoris nostri conferre possi-
mus, id quantum in uiribus est, praestare an-
nitamur. AVRIACVM principatum *supremo do-*
mi.

minio vindicare, nostri nunc instituti est. Partim, quod argumentum haec tempora posstulent: partim, quod scriptorum Gallicorum adparatu, unde haec fere repetenda sunt, instructi, ad hanc operam accedere possumus. In Belgico enim itinere, quod, pacificationis ergo, tum Risuici institutae, suscepimus, e variis maximorum virorum bibliothecis congesimus materialm, CASSANI atque PVTEANL, Gallicorum scriptorum contrariis sententiis non frustra forte in hac causa obiiciendam. Ceterum hanc fidem meam testor, me *priuato* nomine ueritatem hic profiteri, atque *indicis* magis, quam *iudicis*, quae proteruia a nobis in re tanti momenti omnino absit, officio defuncturum esse. Deum ueneror, ut adsit dicendis.

§. II. *Auriaco* principatui ab urbe eiusdem adpellationis, nomen est, a diuersis auctori-
bus diuersimode enunciatum. PTOLEMAEV<sup>Nomen
Auria-
cum.</sup>
(a) Αριανός legit: αριανός enim, quod in nonnullis exemplaribus habetur, inter amanuensium

A 200 II. d. 16 erro-

(a) Lib. II. Geograph. c. 19.

errores refertur. Ab hoc STRABO (b), qui ^{Arausio}
scribit, unica litera differt. Latini Geogra-
phi fere omnes *Arausio* dicunt. Ita quip-
pe PLINIVS (c); MELA (d); SIDONIVS (e); NO-
TITIA S.R.I. (f) aliique e ueteribus. Verum se-
quioris aei scriptores in alias atque alias for-
mas uocem torquent. *Aurasio* aliquibus pla-
cket: pluribus *Auriacum*: *Arasio* etiam nonnul-
lis. In Francica deinde lingua alii *Aurange*; alii
Our ange; plurimi *Orente* reddunt. Inde recenti-
ores quoque scriptores latini *Aurantium*; *Oren-*
giam; *Orantium* idem uocabulum efferunt. Ce-
terum in antiquissimi nominis ortu auctores
non minus uariant: quorum aliqui ad ineptias
pueriles dilabuntur. Alii quippe regionem
Auriacam ab *auro* dictam esse, uolunt, Gram-
maticae magis, quam naturae rationibus, ubi
enim *auriferi* hic montes? ad ita sentiendum
inducti. Hinc LIGVRINV^S (g) poeta *Chrysopoli*
notat

(b) Lib. IV. Geograph. p. 506. (c) Lib. III Histor. Nat. c. 4.

(d) Lib. II. Georg. c. 5. (e) Lib. VI. epistol. 12. (f) Itine-

rario Antonini addita p. 130. edit. Schott. (g) Versu: *Hu-*

sibi metropoles &c.

notat Arausio[nem]. Quibus non meliores sunt, qui a malis aureis, quae obuentorum impetuositatem in Auriacis maturare nequeant, Orenge ironice nominatum esse perhibent; argu[m]ento prouerbii: *a Orenge il ny a point des Orenge* (h). Alii Celticum uocabulum Orage, quod uentum notat, huc trahunt, qui in Arausionensi tractu uehementius ac alibi spiret (i). Simili fere coniectura auræ nomen adhibent quasi *Aurasio* urbs procellosa dicta fuerit (l). Quod ueteres diphthongum au saepius cum simplici litera a confusisse, reperiantur. Hoc enim post alios SALM ASIVS (m), exemplo Agusti pro Augusti, SPEELMANNVS deinde, WENDELINVS, FRESNEVS & lexicographi plures ex antiquis documentis ostendunt. SCHRIECKIVS (n) in Arare fluui, qui Celtis Araus dictus sit, unde terminari facile potuerit Arausio,

A 5 non

(h) Iodocus SINCERVS in Itinerar. Gall. p. 253. (i) *Arelatum uariis obnoxia uentis, Chrysopolin &c.* iterum uersus sunt GVNTHERI, poetæ modo laudati. (l) Ioseph de la PISE en son histoire d' Orenge p. 4. (m) In animadu. ad Solinum p. 1020. (n) In Antiquitat. Belgic.

non leue argumentum suaे originationis sibi consecutus esse, uidetur. Vnde etiam MARCIANVS (o) existimat: *Auriacos & Aurecomicos* eundem populum constituisse, uocibus usu uulgi diuturno corruptis. Et uero quando *Arelatum*: *Arecomicum*: *Ararem fluum*: *Arduennam syluam*: *Ardyensem populum*: *Arausisionem* denique, cuncta nomina ab *ar* incipientia, in uno fere eodemque tractu offendendo: uix aliter existimare possum, quam omnes has uoces uni quondam genti originem ortumque debuisse. *Terrae* filios primi forsitan incolae se dixerunt die *Erdner* siue *Erer*. Nam *e in a* frequentissime mutatum esse, *infinita* fere exempla neminem dubitare sinunt. Inde *terra & ara, aratrum, area* earundem natalium uoces & in uernacula agricolarum dialectus est, qua hodienum *terram*, die *Arde pro, Erde* enunciant. Habemus ergo *Ardenar, sive Ararios*: unde *Araris & Arausio*,
quae

(o) Andreas du CHESNE en son *Antiquites des villes de la Francs Liu.* V, chap. VIII, p. 203.

quae ultima terminatio *Masiliensem Graecorum*
est, facile derivari poterit. Ut adeo Arausii
dem nobis sint ac *terrae filii Arausio* uero urbs
ab hisce incolis suis denominata.

§. III. Unde illud nunc prona consecutione Arausini
deduci posse, existimo: *Arausionem* in uetustis populi di-
simis etiam temporibus *primariam gentis uni-*
uersae ciuitatem, ceterarumque urbium me-
tropolin fuisse. In ueteri enim R. I. NOTITIA (p)
civitas Arausinorum dicitur: quod di-
gnum aduersione est, cum & urbis & gentis
autoritas hinc non obscure colligi atque ex-
pendi poscit. Inde est, quod Cauarum *prima*
habeatur Arausio (q) & plerisque Galliae
Narbonensis urbibus semper praelata fuerit
(r) Ipsi etiam Romani *Arausionem Secundano-*
rum scripsierunt (s), ut constet, quo legionum
ordine dynastiam & illi habuerint. Quidquid stu-

(p) Hieronymo SVRITA editore p. 130. (q) Loci huius nos
admonente Christophoro CELLARIO, ueteris Geo-
graphiae industrio ac eruditio indagatore. (r) Guiliel-
mo PARADINO teste cap. XV. de Statu Burgundiae
p. 300. (s) Joach. VADIANVS in not. ad Melam lib. II. p. 230.

3

stupenda opera, a Romanis in *Auriac* a regio-
ne condita perfectaque, luculentiora adhuc
testimonia dent, Arausisionis p[re]e aliis castris
per eosdem cohonestatae. *Porta triumphalis:*
amphitheatrum: aquae ductus, ingenti sumtu
adparatuque excitata monumenta, specta-
tores hodienum in admirationem rapiunt,
quod palmam iis, quae in Italia supersunt,
praeripere uideantur. Quo elogio *Isaacus*
PONTANVS (t); *Iosephus de la PISE* (u); *Iodocus*
SINCERVVS (x), aliique ea sunt dignati. Non
ergo sine consilio quodam prouidentis Nu-
minis factum esse, existimamus: ut *Arausini*,
conculcata dignitate sua, a *Romanis* primum;
deinde a *Burgundionibus*; demum a *Francis*: tan-
dem *Caroli M.* aevo, pristinae libertatis atque
supremi dominii iuribus, ueluti postliminio, ob
causas mox indicandas, fuerint restituti, ut
supre-

(t) In appendice ad Itinerar. Gall. Narbonensis. (u) Summo
studio eius generis monumenta, in supra laudato ope-
re plenissime descriptis: quae etiam aeri eleganter
incisa exhibit. (x) In Itinerar. Gall. p. 254. cui descri-
ptionem inserit ab alio ei communicatam.

supremo imperio rectores eorundem, hodie-
num uti uideamus. Atque hoc idem illud
est, quod suscepimus nos, ex instituto nunc
comprobare.

§. IV. *Saraceni*, quos hodie Turcarum
nomine adpellamus, seculo octavo, post pirati-
ca bella in mediterraneo mari facta, ipsas de-
mum Galliae regiones in tractu Narbonensi in-
uaserunt. Eo tum progressi fuerant barbari
hostes, ut fiduciam sumerent, incendio, rapi-
nis, spoliis, servitutibus ac caedibus affli-
etas prouincias sui prorsus iuris faciendi. Oc-
cupauerant iam eo animo *Rhodani* confinia
usque ad limites *Arausinorum*. Carolus M,
quod bellis extra Galliam esset distentus, co-
ercere effrenem hostem nequivuit. Obtulit
igitur regionem cum supremo iure, quotus-
quisque eam eripuerit Saracenis. Colligit
uires unus e proceribus istius terrae, GUILIEL-
MUS, cognomento *Cornetanus*, lectoque milite
Christiano, infidum atque tot spoliis superbi-
entem populum, magna in Christum adiu-

Adseritur
SVMMVM
IMPERIVM
Arausinis
(I) EXEM-
TIONE Ca-
roli M. cir.
ca an. 790.

B

torem

torem fiducia concepta, inuadit; protigliat; omniue Narbonensi Gallia eiicit: regione incolis Christianis per hunc iterum vindicata. Laetus de tanta suorum uictoria Carolus M. recipit prouincias omnes ad Rhodanum: factae autem pollicitationis memor, Arausinum tractum cum *supremo* iure transfert in *Vilelum Cornetanum*, principatus nostri optimum conditorem. Atque hoc demum ordine Arausio Galliae dominio *exempta*, sive que iuris effecta est: dignitate hac a fortissimis principatus huius *rectoribus* ad haec tempora usque, contra aduersarios quosque, defensa strenue, propugnataque. Verum testes nunc laudabimus de VILELMO, non Arausinius addictos, sed uel antiquos satis, uel recentiores Gallos. Ita enim fiet, ut non solum partium studii suspicio omnis absit: sed etiam per testes *Gallos* postulata *Gallorum*, in supremum principatus huius dominium, firmius cuertere possumus. *Iohannes cognomento*

Testimo-
nia a) uer-
terum.

ITA-



ITALVS (y), seculi IX. scriptor, *Vilelmum comitem robustissimum* dicit, qui suo IVRE *Gothiam rexerit*. Clarius loqui is auctor non potuifset: cum suo & alieno, hoc est, clientelari iure regere, ex numero illorum sint, quae sibi directo opponuntur. Non ergo clientem aut beneficiarium Galliae, quem nos, uocabulo artis, *uasallum* adpellamus, egit noster; sed *sui iuris*, quod ITALVS scribit, in principatu *Arausino* fuit. Petrus de NATALIEVS (z) Episcopus ^{Petr. de Natalibus.} Equilinus bella Vilelmi plenius quodammodo his uerbis prodit: *Guilielmus confessor, dux Aquitaniae & Prouinciae, patre Theodorico consule, matre Aldana, inclita prosapia duces, Sub rege Carolo M. strenue militauit, eiusque regni PRINCIPATVM tenuit, sanctitate p[re]clarus.* Cum autem Saraceni partes Aquitaniae inuasissent, eos uiriliter debellauit, atque a Septimaniae possessione potenter deiecit. Idem Vilelmus, uitae innocentia admodum insignis, cum coenobita mortuus

B 2

fuis-

(y) Exstat in *Bibliotheca Cluniacensi* a Martino Marriero edita p. 16. dⁱ (z) In catalogo Sanctorum *Lib. V, cap. 41. p.m.*
97. edit. Lugdun. 1514. f.

fuislet, pontifici summo mereri est visus, ut in
 numerum Sanctorum referretur, cuius memo-
 ria in fastis Christianorum V. Calendarum lunii
 hodienum quotannis celebratur. Quid?
 quod imitatores eius in sectam Guilelmistarum
 iuerint, cuius socii in Bohemia atque Saxonia
 diu floruisse dicuntur. S. ODILo (a) Abbas
 Cluniacensis, auctor seculi X. Wilhelmum
 nostrum ILLVSTRISSIMVM uirum & Christianis-
 simum PRINCIPEM, non paruis elogiis salutat,
 qui & ipsi tituli uasallorum dignitatem supera-
 re uidentur. Verba eius haec sunt: *Imminen-
 te tempore illo, quo ab Hispaniae finibus ebulliens Sa-
 racenorum multitudo per iter nauale ad terminos us-
 que Italiae ac Prouinciae peruenit, monasteria, ur-
 bes, uicos, uillas depopulans, beatissimum patrem Ma-
 iolum coepit ac vinculis allegauit. Ille hinc absolutus,
 perditionis Saracenorum occasio fuit. Sicut uero
 post passionem Christi, Iudaei a suis exulati: ita post
 captionem Maioli, ostultum & impium figurae
 genus! Saraceni a finibus Christianorum sunt ex-
 pulsii.*

(a) In uita S. Maioli p. m. 289. Habetur in Bibliotheca Clunia-
 censi, modo a nobis laudata.

pulsi. Et sicut per Titum & Vespasianum Dominus a Iudeis vindictam exercuit: ita per Wilhelmum illustrissimum virum & Christianissimum principem, meritis beati Maioli, iugum Saracenorum ab humeris Christianorum depositum. Et multa terrarum spatia, ab iis iniuste possessa, ab eorum tyrannica dominatione potenti uirtute eripuit. Praeterea Petrus VENETVS (b) eandem uictoriae laudem tribuit Vilhelmo. Omnia autem plenissime res a Vilelmo Arausino principe gestas Ordericus VITALIS (c) Uticensis monachus, qui seculo XII. uixit, persecutus est. Qui assertae per ipsum Arausionis expresse mentionem fecit: monachum etiam factum, Comitatibus filios Bernhardum & Guilielmum praefecisse, idem scripsit. Neminem autem illud impedire debet; quod Vilelmus ab aliis Prouinciae: ab aliis Aquitaniae: Gothiae, id est Languedockiae ab aliis: a nonnullis Arausinorum dux uocetur. Nam quae

B 3

mune-

(b) In Catalogo Sanctor. lib. V. c. 6. (c) Lib. VI. Historiae Ecclesiasticae p. m. 598. 999. inter Scriptores Rer. Normannicarum a Chesneo editus Paris. 1619. f.

muneris causa gesfit, ab illis sciungi debent, quae iure patrimoniali ac proprio habuit posseditque. *Dux* igitur fuit *Languedockiae & Aquitaniae* non suo iure, sed qua Pipini ac Caroli M. admiriser; quo nomine etiam *Prouinciae Comitatum* idem rexit; utraque causa *stipendiarius* Regum Francorum: *Arausio* uero a reliqua Gallia tum auulsae & dominium exercuit & supremum imperium, sua auctoritate, non aliena. Inde etiam illud intelligi potest, quare nunc *dux*; mox *Comes*; iterum *princeps* unus ac idem audiat *Vilelmus*. Haec enim omnia pro munerum ac patrimonii diversitate uera sunt; quamuis in aliis casibus *Antonius Didacus ALTESERRA* (d) probet: *ducis, b) recentiores testes comitis ac principis nomina titulosque saepius inuicem comixtos fuisse.* Sed *recentiores autores Gallos* nunc etiam de *Guilielmo* nostro consulemus. Sunt enim monachi, antiqui scriptores in portentis, miraculis, uitae integritate aliisque rebus, de *Vilelmo* recensendis,

(d) *Lib. III. cap. 5. de ducibus & Comitib. Prouincialib. p.*

dis, magis occupati, quam in rebus politicis & huius seculi fortunas concernentibus, quas, nimiae pietatis obtentu, ut profanas uel ultro neglexerunt, uel maximam partem ignorarunt. Inter omnes uero optime de Guilielmo meritus est *Guillaume de CATEL* (e) auctor luculentus & magnae fidei. Is enim plura coenobiorum monumenta adducit; quae hactenus recensitam de *Arausisionensi* principatu sententiam confirmant: sed etiam tumulum atque imaginem *Guilielmi* conditoris is refert, his uerbis inscriptum: GVIELMVS DEI GRATIA COMES ARAVSIONENS. Ut adeo in re, publicis atque solennibus monumentis stabilita firmataque, nemo sincerus dubitare poscit. Adprobat suo calculo eundem scriptorem *Pierre de MARCA* (f) a sanctioribus „Gall. Regi consiliis, qui inquit: Le Guillau- „me est le sujet des anciens Romains du „Connetable Guillaume au Court-nés d'ou „l'on tire l'origine de la maison d'Orenge & des

Guillau-
me de
Catel

(e) En son Histoire de Thoulouse Lin. V. c. 9. edit. Tolosae 1633. f.

(f) En Histoire de Bearn Lin. IX. chap. 2. §. 5. p. 686.

Guillaum-
me Pam-
din.

„ des Cornets, qui sont en leurs armes. Idem
 „ facit Guillaume PARADIN (g), cuius uerba sunt:
 „ Les Annales de Gilles racontent, que lors
 „ estoit Connestable de France, Guillaume
 „ au court-nez, qui, au retour de ce uoyage,
 „ passant Charlemaigne par le Languedoc,
 „ conquist cestuy Guillaume la cité d'Oren-
 „ ges, lors encors tenue & occupée par le
 „ Sarrazins. Et de cestuy sont uenus Prin-
 „ ces d'Orenges, qui, pour le sur nom de Guil-
 „ laume au cour-néz, portent en leurs armes
 „ un cornet. Ceste principauté à de long
 „ temps perseueré en la riche maison de Cha-
 „ lon & jusques à Philibert, de Chalon,
 „ fils de Iean, lequel Philibert de Chalon,
 „ fut tué au siege de Florence, estant lieute-
 „ neant general de l'Empereur Charle cin-
 „ quiesme. En cestuy est finié la noble &
 „ antique race de la maison de Chalon, qui
 „ n'ont seulement obtenu la principauté d'O-
 „ renges, mais aussi, les Comtés d'AVCERRE,
 de

(g)En ses Annales de Bourgongne Lin. I. p. m. 96.

„ de TONNERE; de IOINGNY; de CHALON & une
 „ infinité d'autres grandes & riches seigne-
 ries. Qui in aliis a Paradino abeunt; illita-
 men in *conditore Arausini* principatus cum eo-
 dem consentiunt. *Caesar de NOSTRADAMVS(h):*
 „ Quant à ce Guillaume Prince d'Orenge, il
 „ faut sçauoir, qu'il y auoit du temps de Char-
 „ lemagne un Guillaume au Cournéz, lequel
 „ conquit la cité d'Orenge, tenue & occupée
 „ des Sarazins, duquel sont uenus les Princes
 „ d'Orenge, qui par le surnom du Cour-nez
 „ portent en leurs armes le cornet. Vt alios
 plures praeteream *Francois de BELLEFOREST (i)*
historiographum regium; *Nicolaum GILLES*
(l) Galliae Regia secretis; FAVCHETVM (m) prae-
sidem regium; RVBISIVM (n) denique ac cete-
ros auctores Gallos, qui idem confitentur.
 Exterorum testimoniis, hactenus allatis, nunc
 domesticum auctorem annextere in hac cau-

C

fa

(h) En son Histoire de Prouence Part. II. p.m. 166. (i) En ses
 Grandes Annales de France Liu. II. chap. X. p.m. 166. (l)
 En sa Chronique de France p.m. 301. (m) En ses Anti-
 quitez Gauloises Liu. II. chap. 26. (n) En son Histoire de
 Lyon Liu. III. p. 310.

la Pise.

saliceat: per ea, quae hucusque congesimus,
 satis corroboratum. *Iosephus de la PISE* (o) Sei-
 gneur de *Maucoil*, qui de *Auriacis* ex instituto
 scripsit, non ex suo ingenio, sed ex ueterum
 monumentorum fide (p) ita de *Guilielmo* tra-
 ditum reliquit: „L'Empereur, *Carolum M.*
 „uult, uouant recompencer un tant notable
 „seruice du fruit de ses uictoires, luy donne
 „la uille d'*Orenge* & le pays qu'il auoit con-
 „questé enuirons, en propriete de fonds avec
 „toute iurisdiction; & à ces grandes digni-
 „tés, que sa uertu luy auoit parauant acqui-
 „ses il adiouste maintenant celle de Prince
 „d'*Orenge* pour en iouir comme de pays de
 „conqueste avec toute autorité SOVVERAINE.

Ius supremum in Arausinos
Vitelmo adseritur contra aduersarios.

§. V. Ne tamen aliquid in hac causa dif-
 fiteamur; sunt aliqui inter scriptores, qui,
 quamuis *Arausionem* *Vilielmo* nostro a Ca-
 rolo M. donatam fuisse largiantur: *ius supremum*
 tamen

(o) En son Histoire des Princes & Principauté d'*Orenge* Part. I.
 p. 52. (p) Auctorem *uitae S. Guilielmi & Santorale* colle-
 giū Dominicanorum Tholosae. quem utrumque codicem
 MSC. *Pisus* laudat. Monumenta aliis quoque scriptoribus
 uisa: quae hodienum in istis locis supersunt.

tamen ab eodem Caesare eidem concessum, partim in dubium uocant: partim etiam expressis verbis idem negare audent. Vident enim hi auctores, fieri uix posse; ut *Gallicae regibus imperium in Arausinos hodienum* uindictetur; si hoc concedatur, Arausinum *Principatum priuilegio* Caroli M. a reliqua Gallia seculo *octavo* auulsum *suique iuris* effectum fuisse. Malunt ergo ueritati calum obducere; quam, declaracione eius, auiae Gallicae inuidiam sibi contrahere. Condonandus ob hanc causam *Jacques de CASSAN* (q), quondam Galliae Regi a consiliis, qui, in gratiam principis sui, de *Vilelmo* nostro ita sentit: il chasta les Sarasins d'Orange, print „la uille & la remit à l'obeyssance du Roy. „C'est pourquoy en recognoissance de sa „ualeur & de ses grands seruices Charlema- „gne luy donna la uille d'Orange, a conditi- „on, que tant luy, que ses successeurs à l'adue-

C 2

nir

(q) En sa Recherche des droits du Roy & de la couronne de France sur les Royaumes, Duchez, Comtez. Litt. 2. chap. 8. p. m. 770, edit. Paris. 1646.

„nir la tiendroient à foy & hommage de la
 „Couronne de France. Sed hic genius est
 cum *Cassani*, tum plurium aliorum ex Gallis,
 ut, re ipsa obiter perspecta, ceteras eius cir-
 cumstantias ex suo ingenio ad seculi captum
 ac sensum principis sui fingant, nulla reueren-
 tia habitā uetustorum monumentorum. Ec-
 quis enim *Cassanum* docuit; Carolum M. ea
lege Arausisionem Vilelmo Cornetano dona-
 se, ut *clientelari* obsequio Galliae regibus fi-
 dem & ipse & successores adstringerent?
 Hanc fidem meam testor; nullum antiquum
 scriptorem *clientelae* huius unquam mentio-
 nem fecisse. Recentiorum uero placita in re
 tantae uetustatis inepte adducuntur. In lu-
 brico enim fundamento starent historicae
 ueritates ac summorum principum iura; si
 haec a calami procacitate cuiusuis scriptoris
 penderent, de rebus ante mille annos gestis,
 nullo idoneo teste laudato, proterue dis-
 rentis. Quid? quod, cum in *possessione* supre-
 matus sint Principes Auriaci; omne onus,

con-

a) qui au-
toribus
destitu-
untur.

contrarium docendi, aduersae parti incum-
bat. Ut in defectu genuini documenti, quo
hostilia argumenta laborant, Auriaco *potenta-*
tui omnino praesidium quaerere possumus.

§. VI. Verum enim uero liberales eri-
mus in ueritate afferenda, quam tanta opti-
morum argumentorum fide licet contueri.
Principio *Iohannis cognomento ITALI* (r), ue-
tustissimi ac supra a nobis celebrati scriptoris,
auctoritas maxima est, cuius uerba expressa
sunt: *VVilbelmus robustissimus Comes, qui svo*
IVRE tenuit regiones. Suo autem iure domi-
nia tenere eum dicimus, qui sui iuris est, qui sum-
mam rerum tenet, qui supremo imperio gaudet,
quod Galli potentatus aut suprematus nomine
reddunt la Souueraineté. Evidem ampliora
Vilelmi Cornetani dominia idem facit, quam
terminos Arausini principatus hodie circum-
scribi, uidemus: sed, dummodo rem ipsam

C 3 tene-

(r) Habetur idem auctor præter *Bibliothecam Cluniensem*,
quod p. II. diximus, apud SURIUM tom. VI. d. 18. Nou.
Sed contractior aliquantum & longe alio, quam auctor
ipse scripsit, stylo.

b) uetus
scriptoribus.
oblo-
quuntur.

c) titulo
Dei Gra-
tia.

teneamus, de limitibus forte facilior erit con-
uentio. Deinde etiam uerba *tumuli*, supra e CA-
TELIO (s) allata, principi nostro *suprematum*,
non leuiori firmamento, ad serere existimo.
WILHELMVS DEI GRATIA COMES, is etiamnum in-
scriptus in coenobio *Gellionensi* seu Wilhelmia-
no reperitur. *Rationem* *buius tituli* *pendere ex uica-*
ria potestate, quam Dei nomine in hisce terris gerant
principes, adeo ut soli Deo nulli hominum obnoxios se es-
se, profiteantur, differunt Ioh. Christ. BECMANNVS (t),
*& GEISLERVS (u): ut adeo *indubius* inde sumi pos-*
*se uideatur *character supremae* a Deo potestatis,*
qua usus fuerit Guilielmus, conditor princi-
patus Arausinorum. Evidem Ant. Dadinus
ALTESERRA (x) exempla *clientelarium* etiam
principum adfert, qui *Dei gratia* elogiis usi fue-
rint. Verum enim uero sciungendi hic in-
uicem casus sunt: & corruet statim facta no-
bis oppositio. Primo enim ab usu uocabu-
lorum

(s) En son Histoire de Languedock p. 15. superius. (t) In Notitia
dignitat. Illustr. Volum I. Diff. I. cap. 3. p. 67. (u) In disser-
tatione gemina ex instituto; de *titulo DEI Gratia*. (x)
Lib. III. de Duc. Prouincialib. Gall. cap. 5. p. 222.

lorum in una aetate: ad usum eorum in altera, rationibus infirmis concluditur. Exempla igitur desideramus, Caroli M. aevo, promiscuum formulae *Dei gratia* usum inter principes clientes, idque in Gallia, uiguisse. Deinde stylus *priuatus* cum *publico* confundi non debet. Sic notissimum *Martini LVtheri* (y) exemplum, qui, lepida *regalis* tituli aemulazione, quod Angliae *regem* Henricum VIII aduersarium haberet, literas suas his uerbis auspiciatus est: *Martinus Lutherus, DEI GRATIA Ecclesiastes VVittebergensis, Henrico DEI IRA Regi Angliae.* Simili fere argumento *Carolus du FRESNE* (z) plurima loca apud scriptores medii aeui congregavit, ubi sacri etiam Antistites, pro muneris ac uocationis suae causis allegandis his titulis usi fuerint: *Episcopus DEI & Apostolicae sedis GRATIA.* Et, altero nonnunquam omisso: *Episcopus Dei gratia.* Ut uero neminem esse, puto, qui *priuata* haec pietatis officia, cum *publico* solennique usu titulorum in

cui-

(y) *Tom. II. Jenens. p. 132.*(z) In *Glossario mediae Latinitat.*
Tom. II. p. 46.

cuius ac aulis principum commisceri uelit: sic etiam facile patet, exemplum nostri principis non ad illud genus; sed ad hoc referendum esse. Non enim sibi elogium hoc *ipse Vilielmus priuata* quadam causa tribuit: sed mortuus in publico solennique monumento a superstibus accepit, ubi tamen uacua alias iudicia sunt crimine adulacionis. Summatim dicam, adhibuerunt quandoque uafalli aut priuati homines titulos *Dei gratia, pietatis* causa: iisdem alii quoque haec nomina, quamuis rarissime, dederunt uel *religionis* ergo uel turpisimae *adulationis*. Ast praeter hos casus in *Gallia* (Ordines enim Germaniae haec usu praescripserunt) *sacrilegium* apud *beneficiarios* principes habitum fuit: *Dei gratia* nominibus dignitateque insigniri uelle. Exemplum habemus in Duce *Britanniae minoris*. Is enim, quod uerba *Dei gratia*, ritu maiorum, qui in *regum* numero quandam fuerant, in diplomaticis adhiberet; a Galliarum rege sub gravi comminatione iussus est, ab usu harum uocum

cum sibi temperare. *Franciscus BELCARIVS* (a) Episcopus Metensis historiam ita refert: rex 1464. Moruillerium ad Britannum misit: quae legatio praecipua quatuor capita continebat. Primo ne Britanniae regulis in publicis diplomatis eauerba praefigeret, quae hactenus usurpauerat: *Franciscus DEI GRATIA Dux Britanniae*; quod hisce uerbis se regis beneficiarium, quod probe aduertendum, tacite inficiari uideretur, quibus Ducatum soli Deo, non ipsi regi acceptum ferre, testaretur. Cum ergo antiquis, mediis ac infimis temporibus continuo, solennique usu in omnibus diplomaticis, nummis, monumentis aliis generis cuiusque Arausionenses principes DEI GRATIA titulos in media Gallia adhibuerint: certissima haecerit *Arausini suprematus* nota, quae reatores Arausisionis ab omni clientelari iure Galiae regis sine ulla controuersia absoluet. Praeterea ratio etiam successionis filiorum *Vilelmi* nostri manifeste docet, eum suo iure, d) successio non lege beneficiaria Arausionem possedisse. ^{ni filio-}rum.

D

Ant.

(a) In Commentariis Rer. Gallicar. Lib. I. §. 14. p. 9. ad an. 1464.

Ant. Dadinus ALTESERRA (b) Gallicorum feudorum naturam ex instituto inuestigauit. Vbi iudicium suum de hac causa his uerbis prodit: *feuda Galliae a temporibus demum Ludowici Pii coeperunt transire ad liberos: sed neque tum sine speciali consensu principis.* Caroli autem M aetate uasalli ad finem tantum uitae feuda possidebant, *princeps uero, quos ei uisum esset, successores eligebat, nulla liberorum habita ratione.* Quod si autem *uasallum egit Guilielmus Cornetanus, eccl^{ic}ur Ordericus VITALIS* (c) *Vticensis Monachus de eo scribit: filiis adiuuantibus, quos Comitatus ipse praefererat.* Cum ergo inde constet, quod *suis id est proprio iure possessos Comitatus, sua, non alieni principis siue Galliae Regis auctoritate, inter filios distribuerit Vilhelmus Cornetanus: manifestum etiam ex hoc argumento est, Vilelmum supremi iuris principem Arausinorum fuisse.* Tandem etiam *corundem moribus Galliae maior a feuda, puta Ducatus & Co-*

e) *divisioni*
corundem *moribus Galliae maior a feuda, puta Ducatus & Co-*

(b) *Tractatu de Origine Feudorum pro Moribus Galliae cap.*
II. p. 290. Quem librum Ioh. Schilterus dignum habuit, ut eundem Codici iuris Alemannici annexeret, (c) *Lib. VI. Histor. Ecclesiastic. p. 599.*

mitatus diuisionem olim non tulerunt, quod obser-
uat idem ALTESERRA (d). Quo ergo iure
Vilemum Cornetanum Arausionensem prin-
cipatum filiis *distribuisse* dicemus: nisi ab omni
clientelae ac beneficii nexus eundem absolu-
amus. Atque haec demum omnia, quae
ad summum dominium, *Vilemo Cornetano* ad-
serendum, in hactenus dictis attulimus, con-
trouersiae huic finem dare posse, existimo:
qua Gallici alias scriptores *absolutum*, quod di-
citur *imperium* Principibus *Auriacis*, tanta ani-
morum fiducia, negare audent. Conditore
enim summi dominii apud Arausinos probe
intellecto: facile est deinceps, ad destruen-
dum omne id, quod ab iisdem huic causae
opponitur.

§. VII. Manifesto quippe errore histo-
riae ac temporum rationes turbant, qui Arau-
sinorum principes uel *Delphinatus* clientes faci-
unt cum *Nicolao CHORERIO* (e) uel *Prouinciae*
D 2 Comi-
tus?

Soluun-
tur inde
oppositio-
nes.

An Arau-
sio sit iuris
Delphina-

(d) De Origine Feudorum pro moribus Galliae cap. XV. p. 333. ciae?

(e) En son Histoire Generale de Dauphiné Liv. IX. §. 12. p.

287. edit. a Lyon 1672. f.

Comitatus beneficiarios cum Nicolao VIGEN-
RIO (f) & adsertoribus Gallis, du PVY (g) atque
CASSANO [h]. Quia uterque sine omni dubi-
tatione iunioris longe aetatis est, ac ea, quam
Arausino principatu per hactenus dicta adser-
uimus. Imo ipsas regni *Arelatensis* natales ita
superat dominium Arausionense: ut frustra
illi quoque esse videantur, qui Arausionem
appendiculam eius facere, uelint [i]. Deinde
etiam illa tela, perhunc Arausionis conditorem,
declinantur; quando in potestate Caroli M.
non fuisse, scribunt, *Arausinam* ditionem a
Galliae regno auellere. Fide enim BALDI (l)
& PAPONII (m) id peculiare in Galliae regno es-
se, Francisc. HOTMANNVS (n) existimat: quod rex
sine publico gentis Concilio nihil nec alienare, nec oppi-
gnare.

(i) En son Histoire de la Maison de Luxembourg. Chap. XXV.

p. 133. (g) En Traitez touchant les droits du Roy tres-
Chrestien p.m.275.a Rouen 1670. f. (h) In scripto, superius
citaro *Iurium Gallicorum*.

(i) Philosophi dicunt, causa priorem esse suo effectu: partem principalem, mi-
nus principali. Cum ergo aliquot secula *Arausino* do-
minatu recentiores sint allegatae ditiones: causae eius
esse, nequeunt. (l) C.I. si Feud. fuer. contr. (m) Lib. V.
Arrest. XII. tit. 10. artic. 4. (n) Quæst. Illustr. Q.I.p.m.16.

gnerare posse. Quare etiam *Iacobus de CASSAN*
 (o) ultimum argumentorum praefidum
 contra supremum Arausisionis dominium in
 eo ponit, ut scribat, etiamsi constet, aliquem
 regem *sui iuris* fecisse Arausinum principatum:
 id tamen, quod, hoc facere, in regis nullius
 potestate sit, reuocari semper a regni ordi-
 nibus ac successoribus potuisse. Verum e-
 nim uero doceant nos Galli, si possunt, iam
 Caroli M. aevo hac lege Galliae principes ad-
 strictos fuisse. Certe *Renatus CHOPPINVS* (p),
 qui admiranda industria hanc materiam tra-
 ctauit, nihil eius reperit, quod adscendat ad
 Carolinam aetatem. Cum igitur lex de re-
 bus *praeteritis* non feratur (q): neque *Arausio-*
norum causam ferient, quaecunque postea
 de non alienandis Galliae coronaebonis con-
 quirere licet. Deinde etiam negant aliqui

D 3

cum

(o) Lib. cit. II. chap. 8. p. 776. (p) de Domanio Gallico *Lib. I. tit. 2.*
 qui liber, olim in Lat. L. admodum rarus, nam in Gallico
 idiomate obuius satis ingenti literariae reipublicae com-
 modo an. 1701. *Francofurti* recusus est. — Utinam tamen
 prodisset illud opus luculentius ac emendatius. Sed in-
 finitis mendis scaret, singulis fere strophis hac macula
 aliquoties notatis (q) L. VII. C. de Legibus,

cum RAGVEAV (r) doméstico scriptore, Galliae regnum unquam singulare aliquid in hoc genere prae aliis regnis ac rebus publicis habuisse. Praeterea, qui Gallis hic cuncta larguntur; illi tamen certos casus dant; ubi regi eorum fas sit, non solum regiones, regno innexas, ab eodem auellere: sed etiam domania bona, quod longe magis est, alienare. Non priuatum hoc; sed publicum CVRIAЕ PARISINAE decretum est, an. 1539 in eadem causa ita fere promulgatum: *quando remuneratio facienda est subdito ob extraordinariam operam, quam regi aut regno praestitit, Domania etiam recte alienantur* (s). Ceterum Principibus nostris neque his rationibus est opus, ad supremi imperii sui defensionem. Carolus enim M. non auulsit Arausisionem a regno Galliae, quod dictis regni consuetudinibus postea improbatum est: sed, hac per Saracenos pridem a uulsa, principi Christiano facultatem concepsit,

(r) au Corps du droit de France *Liu. X. tit. I. p. 137.* (s) Loci huius nos *Job. LIMNAEUS admonuit Lib. II. c. 8. in Notitia Franciae p. 603.*

fit, eandem infidelibus iterum eripiendi. Quia
in re Imperator & aliis regni sui prouinciis
consuluit: & mores uicinarum gentium est
imitatus. Nam supra laudatorum testium
fide, Vilelmus Cornetanus uniuersa etiam
Languedockia expulit Saracenos, neque tamen
ex opima ista uictoria praeter unicam *Arau-*
sionem sibi aliquid retinuit, reliquis omnibus re-
gionibus in potestatem Caroli regis iterum
concessis. Quod uero nihil tum noui ha-
buerit *donatio Arausisionis*, Vilelmo eapropter
facta; id exemplo uicini Hispaniae regni fie-
ri potest manifestum. Huius enim singulae
prouinciae, quamprimum illae a Saracenis
an. 710. inuasae direptaeque fuerant, occupan-
ti, quasi res nullius, cesserunt (t): licet *Pela-*
gius, ex regali Hispaniae stirpe oriundus (u), &

super

(t) Inde enim factum est, ut Hispania, quae antea unus im-
perio paruerat: nunc in sejuncta *Legionis*; *Castiliae*; *Ar-*
ragoniae; *Nauarrai* ac *Cataloniae* regna ac respublicas iret.
Neque alio titulo condita haec regna sunt, quam bellica
occupatione. (u) CHIFLETIUS in Vindiciis Hispaniae id
docet cap. XIV. Ambrosii Morali, Roderici Santii, Villadie-
gii aliorumque auctoritatibus nixus. Conf. Aduersiones
Dn. Praesidis in die Einleitung des Pusendorffs/c. II. §. 3. p. 243.

superstes adhuc esset, neque animum, recuperandi amissa, unquam exuisset. Quod si ergo integrum ibi omnibus incolis fuit, Saracenis sua uirtute prouincias liberare; & liberatas, nullius intercessu, cum summo imperio sibi retinere: quid mirum est, pro uniuersa *Languedockia* a Saracenis recuperata, Vilelmum Cornetanum Arausisionem, cum pleno iure, accepisse. Modo itaque *Vilelmum* Arausini principatus conditorem fuisse, obtineamus: de facultate Caroli M. Arausisionem Galliae regno *eximendi* nulla unquam dubitatio remanebit. Tandem & illud pro Arausione, Galliae regno uindicanda, adfert CASSANVS

A supre-
mo domi-
nio an ex-
cidere po-
tuerint
principes,
crimine
feloniat?

(x). Principes Arausinos, si quae forte supermatus iura olim habuerint: iisdem tamen, perfidiae criminis, in Galliae reges saepius commisso, iterum excidisse. Sed uero si, quod hanc tenus probauimus, nullo fidei sacramento

Gal-

